

Agendum nobis hic est de peccatis externis tantum; de internis enim, seu de morosa delectatione et pravo desiderio, iam dictum est in Tract. de Peccatis, n. 167. et seq. Hinc 1^o de peccatis non consummatis; 2^o de peccatis consummatis dicemus.

tunc nulla ratio est, cur quaeramus reatum in voluntate tamquam eorum causa.

Tertia demum inter praecedentes media erit, quando voluntarie actio quaequam ponitur, quae excitandis iis motibus causam aliquam, proximam vel remotam praebet; neque tamen eo fine seu intentione actionem quis ponit, ut motus eiusmodi in se excitet, aut iis perfruatur. Tunc autem valet principium, quod ex S. Alphonso alias (not. ad n. 176.) retulimus, nempe hisce effectibus, utpote voluntariis solum in causa, tantum reatus inesse, quantum inest ipsi causae. Unde S. Alphonsus concludit (lib. 3. n. 484.): *Communis et probabilior sententia docet, pollutionem non esse mortalem, nisi proveniat ex causa per se mortali in genere luxuriae... Ratio est, quia cum pollutio non sit voluta nisi in causa eo gradu mala erit, quo mala est ipsa causa.* Et quidem vigilanter dicit, *ex causa per se mortali, in genere luxuriae;* si enim causa, utut graviter in se culpabilis, sit extra luxuriae genus, uti v. gr. ebrietas aut esus carnum die Veneris, vel in genere quidem luxuriae sit, sed leviter culpabilis, ut v. gr. curiosa lectio venialiter turpis, tunc deest efficacia causalitatis, et (ut ait S. Alphonsus l. c.) *cum causa leviter ad pollutionem concurrat, non est gravis obligatio causam illam vitandi ob pollutionem, quae praeter intentionem accidit.*

Quinimo cum non omnes actiones, quae gravem culpam inferunt in genere luxuriae per se habeant illam efficaciam, nec etiam pari efficacia polleant quoad omnes homines, sed diversa plane pro diversa personarum infirmitate; hinc ratione effectus abesse gravis culpa poterit, etiam quando

gravis culpa affuerit in actu, qui occasionem motibus praebuit, qui propterea *per accidens* subsequi tunc censentur. Unde Salmanticenses concludunt (Tr. 26. cap. 7. n. 41.): *Si in aliquo corpore ratione infirmitatis... vel alterius causae sit positive indispositio ad Venerem, esto illi applicentur causae, quae alias ex se graviter in pollutionem aut carnalem delectationem influunt respectu aliorum...; respectu tamen illius... non erunt graviter influentes, sed solum leviter aut etiam nullo modo seu erunt causae materialiter tantum de genere luxuriae; quapropter communiter... ratione eorum influxus in pollutionem mortaliter non peccabit.*

Omnis vero culpa abesse poterit, quando actio per se licita sit et honesta; licet praevideantur sequuturi pravi motus, quos tamen nullo modo quis velit nec intendat. Unde S. Alphonsus (lib. 3. n. 483.): *Si praefatae actiones (quas alioquin n. 482. dixerat esse causas graviter influentes) ponuntur ex causa necessaria, vel utili, vel convenienti animae aut corpori, tunc... pollutiones ex ipsis provenientes, adhuc praevise, non sunt peccata, dummodo absit consensus periculum. Ita communiter Sylvius, Croix, et alii cum communi et S. Thoma.* Et reipsa ita Doctor angelicus (3. q. 80 art. 7.): *Praecedentes cogitationes lascivae quandoque possunt esse omnino sine peccato, puta cum aliquis causa lectionis vel disputationis cogitur de talibus cogitare. Et si hoc sit sine concupiscentia et delectatione, non erunt cogitationes immundae, sed honestae; ex quibus tamen pollutio sequi potest, sicut patet ex auctoritate Augustini... Verba*

CAPUT I.

DE PECCATIS LUXURIAE NON CONSUMMATIS

Peccata huius generis sunt oscula, tactus, aspectus, sermones et lectiones turpes.

ARTICULUS I. — DE OSCULIS ET TACTIBUS IMPUDICIS

413. **Statuenda.** — I. Oscula (1) et tactus vere impudici, idest habitus sine causa in partibus inhonestis alterius, vix unquam a peccato mortali excusari possunt, etiam secluso affectu venereo, ob gravem in-

autem Augustini (*De Gen. ad litt.* lib. 12. cap. 15.) sunt: *cum hoc tam sine peccato fiat quam sine peccato a vigilantibus dicitur.*

Actuum autem, qui ratione necessitatis sint sine culpa S. Alphonsus haec exempla subdit (lib. 3. n. 483.): *Hinc etiam praevisa pollutione (et a fortiori haec valere debent de pravis motibus minoris momenti) involuntaria licet parochis et etiam aliis confessariis audire confessiones mulierum, ac legere tractatus de rebus turpibus, chirurgis aspicere et tangere partes feminae aegrotantis ac studere rebus medicis... servire in balneis... Licet alicui, qui magnum pruritus patitur in verendis, illum tactu abigere, etiamsi pollutio sequatur.* Exempla vero actionum culpae expertium ratione cuiusdam decentiae haec habet (ibid.): *Licet aliis alloqui, osculari, aut amplexari mulieres iuxta morem patriae et similia.* Denique (ibid.) quoad actiones, quae non obstante praevisa pollutione, licite exercentur utpote *convenientes animae vel corpori*, tria haec exempla addit; quod nempe liceat 1^o equitare non modo necessitatis et utilitatis, sed etiam recreationis gratia; 2^o decumbere certo quodam corporis situ ad commodius quiescendum; 3^o cibos calidos aut potus moderate sumere, et honestas choreas ducere. Et quidam ad haec omnia et singula advertit S. Alphonsus, eiusmodi sententias

ad doctrinam communiter receptam pertinere.

Prae oculis tamen habenda est limitatio quam ex communi sententia S. Alphonsus (l. c.) apponit, *dummodo absit periculum consensus*, in pravos scilicet motus, subortamque delectationem. Quippe obligatio cavendi periculum peccandi sufficit, ut illicita evadat actio quae alioquin nec ratione sui nec praecise ratione motuum, quos inducit, inhonesta foret.

Quod si quaeratur, cuiusmodi esse debeat periculum, quod *graviter* illicitam efficiat motuum causam; illud sufficiat in praesens innuisse, normam desumi ex iis posse, quae in *Tractatu de Poenitentia* tradi solent de proxima peccandi occasione; quippe quae ideirco removenda seu fugienda est, quia nimirum peccandi periculum inducit. Illa itaque lapsuum frequentia, caeteraque adiuncta, quae ex communi doctrina occasionem *proximam*, et necessario auferendam constituunt, haec eadem constituent illud periculum, propter quod a ponenda motuum carnalium causa abstinere quis obligetur.

(1) Hoc loco Auctor denotat oscula, quae partibus inhonestis infinguntur. Hoc autem discrimen inter huiusmodi oscula et tactus est, quod adhibendi illos tactus iusta aliquando causa subesse possit, v. gr. ad medendum; non item vero deosculandi.

decentiam, et imminens libidinis periculum, quod inducunt. Facilius tamen excusantur a mortali, si in eiusdem, quam si in diversi sexus persona fiant. — S. Lig. n. 419. 420.

II. Oscula et tactus in partibus honestis vel minus honestis (2) constituunt peccata mortalia, si ex delectatione venerea fiant; sunt venialia, si fiant ex levitate, ioco, curiositate, etc...; carent vero omni culpa, si fiant iuxta morem patriae, urbanitatis aut honestae benevolentiae causa (3). Ratio horum *per se* patet. — S. Lig. n. 417.

(2) Sedulo adverte distinctionem inter corporis partes *minus honestas*, et *inhonestas*. Dicuntur *inhonestae* seu etiam *turpes* aut *obscenae* partes genitales, iisque proximae; *minus honestae* vero et *non turpes* dicuntur pectus, brachia, crura, etc. Ita S. Alph. (lib. 3. n. 422.): Quod vero A. dicit de iis, quae venialem culpam habeant, si fiant circa *partes minus honestas* ex levitate, ioco, curiositate, etc., hoc de tactu aliquo accipi poterit, non vero ad oscula, ut res ipsa *per se* loquitur, est transferendum, quod infra in 3. Resol. etiam A. advertit.

Item quae A. dicit carere omni culpa, *si fiant iuxta morem patriae, aut causa urbanitatis, etc.*, accipiendum est de partibus *honestis*, non autem ad *minus honestas* extendendum est.

(3) Huc spectat communis DD. sententia, urbanitatis ac benevolentiae gratia et in amoris ostensionem sponsis de futuro licere pudicos tactus, v. gr. manus apprehensionem, amplexus et oscula, « *secundum morem, secundum patriae consuetudinem* »: quibus verbis subesse potest duplex sensus, rectus uterque: unus, ut indicetur mos exhibendi post sponsalia ista benevolentiae signa; alter, ut in modo ea signa exhibendi mos patriae servetur: quem sensum habent et verba S. Alphonsi, ut *permittantur non aliter, quam solutis permittuntur, ubi vigeat usus*. Dixi *communis*; sic enim Lucius Ferraris (V. *Luxuria*, n. 90.): *Omnes tactus, oscula, amplexus...*, quae fiunt inter sponsos, si pudice fiant, ex recto fine,

secundum consuetudinem patriae, sunt licita. COMMUNIS. — Ita et Giribaldi e Clericis Regularibus Barnab. (*De Matrim.* cap. 49. dub. 15. n. 114.): *Quaeres 5^o an sponsis de futuro liceant oscula, tactus, et amplexus? COMMUNIS sententia negat, licere tactus inhonestos in partibus impudicis et occultis... Sed concedit, licere tactus alioquin honestos, amplexus, oscula...; quae quidem erunt peccatum veniale, si fiant ob solam delectationem captandam; et sine omni culpa, si fiant in signum amoris et benevolentiae iuxta morem consuetum*. — Nec aliter Reiffenstuel (*Th. mor.* Tr. IX. dist. 4. q. 7. n. 77.): *Num autem inter sponsos de futuro liceant tactus et oscula, alia difficultas est. Et quidem tactus impudicos inter sponsos non excusari a mortali, passim fatentur DD... Quod si oscula et amplexus de se non sint impudici, simulque fiant... intuitu honesti amoris ac benevolentiae, culpa vacant*. Et Salmanticenses (*De Matrim.* cap. 15. n. 51.): *Ultima difficultas est, utrum inter sponsos de futuro sint licita oscula, amplexus, tactus...? Respondetur, quod si tales actus ob captandam voluptatem fiant, erunt peccata venialia... Si ob signum amoris, nullum erit peccatum*

Et hanc quidem doctrinam non reiecit S. Alphonsus, patet ex iis; quae habet l. 6. n. 854. *concedunt Croix et Viva cum aliis auctoribus ab ipsis adductis, quod oscula et amplexus iuxta morem patriae aliquando sponsis permitti pos-*

414. — III. Tactus et oscula etiam in partes honestas subinde gravi culpa non carebunt, si saepius vel morose exerceantur a iuvenibus potissimum diversi sexus absque ulla necessitate, aut alia iusta causa, quam-

sunt, sed non aliter quam solutis permittuntur. Et hoc est probabile, modo tales actus non sint pressi et per aliquod tempus protracti, ut bene advertit Roncaglia, qui etiam eos admittit ad benevolentiae demonstrationem: sed ego non admitterem, nisi ubi talis vigeret usus, ut etiam ait Mazzotta. Itaque S. Alphonsus concedit, ubi hic usus vigeat, *licere oscula et amplexus etiam ad benevolentiae demonstrationem*.

Illud unum movere quosdam potest, quod eiusmodi actus ad carnales pravosque motus eiendos conferant. At valere hic debet generalis regula, quam sup. (not. ad n. 412.) tetigimus, nimirum tunc solum hosce motus esse culpabiles, cum vel mala est causa, vel periculum subest consentiendi. Itaque ad Confessarium in casu perfinet inspicere, non quidem an causa sit rea, nam cum iusta sit, eo ipso est honesta, sed utrum adsit periculum consensus in malum, proque sua prudentia remedia poenitentiae praebere. Qua in re cavere sane debet, ne desiderium removendi a peccati periculo ipsum eo usque impellat, ut de peccato praesertim gravi ea damnet, quae ex communi DD. sententia aut nullum aut dumtaxat levem habent reatum. Huiusmodi enim zelus, non sane secundum scientiam, hunc unice effectum demum sortiatur oportet, ut forte perpauca quidem ab iis actibus absterreat, plerosque vero ex falsa iniecta conscientia in peccati laqueos reipsa impellat; unde facile fiet praeterea, ut conculcato semel propter Confessarii imprudentiam timore Dei, et amisso peccati horrore, in veras deinde et graviore turpitudines prolabantur.

Quod idem sane etiam de aspectibus et colloquiis inter sponsos est observandum, quando et ex istis motus illi, et in-

terdum ad pollutionem usque, subsequantur. Iusta enim est causa, cur sponsus sponsam invisat, atque alloquia cum ipsa habeat. Tota ergo quaestio vertetur in illo consentiendi periculo, de quo sup. in not. ad n. 412. dictum est.

Qua in re non levis profecto difficultas videbitur se offerre, quando ex lapsuum frequentia periculum consentiendi eiusmodi appareat, ut instar proximae peccandi occasionis haberi debeat. Verumtamen hic non maior adest reipsa difficultas, quam si agatur de occasione proxima necessaria: *necessaria*, inquam; spectatis enim omnibus adiunctis, quidpiam moraliter impossibile exigeret Confessarius, si sponsum ab adeunda et alloquenda sponsa, vel (ut post Sanchez *De Matrim.* lib. 9. disp. 46. n. 48-50., aliosque plures ab eodem allegatos, advertit Diana tom. 1. Tr. 4. res. 37.; et tom. 2. Tr. 6. res. 37.) a consuetis benevolentiae signis exhibendis arcere vellet. Aliis itaque mediis ad removendum periculum uti debet. Quae si poenitens non abnuat, valebit quod iuxta principia communiter recepta habet Giribaldi (*De Poenit.* cap. 10. dub. 3. n. 31.). Qui ad quaestionem: *An possit absolvi sponsus, qui frequenter visitat sponsam, cuius occasione peccat*, respondet, *Posse absolvi, quando visitationes sunt secundum morem patriae, a quibus non potest sine nota et dedecore abstinere, quia putaret sponsa se contemni, eo quod illam non visitaret, sicut alii sponsi faciunt; quod idem valet de sponsa, quae ex locutione et aspectu sponsi patitur distillationem et pollutionem; non enim tenetur fugere aspectum sponsi, si alias non habet iustam causam et excusationem, cum aspectus et verba sint honesta et secundum*

vis ob solam voluptatem organicam. Ratio est, quia ab huiusmodi actibus repetitis vel morosis commotio carnalis et delectatio venerea raro aberit. S. Lig. n. 416. (4).

morem patriae, ac sine nota et dedecore non possint vitari. Media autem Confessarius suggeret non modo generalia, sed ad rem specialia; et pro prudentia sua opus est ut absterreat, prouti potest, ab exhibendis iis benevolentiae signis, quibus concupiscentiae fomes excitari facilius potest, aut certe eum modum ac frequentiam proponat, quae necessitatem non excedat. Modus autem ac mensura, quae facile ab omnibus intelligi possit, haec esto, ut non plus praestetur, quam quod praestari hac in re sine cuiusquam offensione coram aliis, v. gr. parentibus queat. Tum vero maxime exigendum, ut nunquam solus cum sola praesertim secreto loco versetur. Quod quidem potissime et ad eos pertinet, qui eorum curam gerunt. Cum parentibus itaque et praesertim cum matribus severissime agendum est, gravisque obligatio urgenda huius vigiliis custodiae et cautelae; ad quam impellere debet non modo conscientia, sed etiam timor, ne filiae semel corruptae in paterna domo dehonesta consenscant.

Quod si remedia a Confessario proposita optatum fructum non sortiantur, illud unum superest, ut cum istis agatur non secus ac agendum cum recidivis in Tractatu de Poenitentia traditur.

(4) Voluptatem organicam haec A. illam appellat, quam sup. (not. ad n. 411.) diximus *pure sensibilem*; ubi etiam inuimus, in praxi eam *praecise talem*, si de adultis agatur, qui apposite eam quaerant, vix locum habere.

Quod autem A. a regula, quam tradit, excipere videatur casum *necessitatis* vel *iustae causae*, id non est extendendum ad oscula morosiora ac pressiora, a quibus sunt deterrendi vel ipsi sponsi, cum vix quoad ista excogitari iusta aliqua causa queat.

Aliam tamen quaestionem DD. moverunt de sponsis, utrum scilicet licita ipsis sit delectatio quaeque, quam ex osculis amplexibusve, aut pudicis tactibus voluntarie capiant. Dixi 1^o *delectatio quaeque*; nam hic prorsus excluditur delectatio venerea proprie dicta ac partium genitalium propria. Dixi 2^o *quam voluntarie capiant*; nam de oborta praeter intentionem nulloque consensu admissa, nulla est controversia, etsi venerea foret.

Quaestionem sic propositam tractat etiam S. Alphonsus (lib. 6. n. 854.) ita tamen (hoc unum enim de hac re per modum mere historicum attigisse iuverit), ut ex ibi disputatis vix intelligi queat, quo loco vere se res habeat. Et sane pro sententia, quae eam delectationem sponsis aut licitam aut non nisi leviter malam esse tenet (quam tamen non satis accurate exponere videtur), ipse quinque tantum auctores affert, Sanchez nimirum, Salmanticenses, Aversa, Diana, et Azor. Atqui Sanchez (*De Matr.* lib. 9. disp. 46. n. 48.) pro eadem allegaverat alios septemdecim; Diana vero (tom. 2. Tract. 6. res. 36. n. 2. 3.) alios novem hisce addiderat, adeo ut iam habeamus triginta et unum, in quibus videas nomina Soti, Caietani, Toleti, Navarri, Valentiae, Sayri, Reginaldi, etc.; adiungi autem his poterant Laymann (lib. 3. sect. 4. n. 11.), Palaus (*De Sponsalibus* disp. 3. punct. 4. §. 2. n. 7.), Sporer (*Theol. Sacram.* p. 4. c. 2. sect. 4. n. 430.), Escobar (lib. 26. sect. 2. dub. 26.), Filliucius (Tr. 10. part. 1. cap. IX. n. 357.), Tamburini (*In Decal.* lib. 7. cap. 3. §. 5. n. 61.), Ioann. Henriquez (*apud Mendo* disp. 5. q. 12. n. 4.) et Giribaldi, qui (*De Matrim.* cap. 19. dub. 15. n. 114.) asserit eam esse doctrinam *communem*.

Pro sententia vero, quae ceu graviter

IV. Oscula, tactus et amplexus ob delectationem veneream exercita contrahunt malitiam specie diversam pro variis personarum circumstan-

illicitam sponsis eam delectationem propugnat, allegari videbis penes eundem S. Alphonsum (l. c.) Lessium, Mazzotta, Roncaglia, Concina, Bonacina cum Henriquez et Rebello, Croix cum Mendo, ac Viva cum Suarez, Perez et Hurtado: quae quidem allegationes fere ex Croix, Mazzotta, et Viva corrogatae videntur. Atqui 1^o Lessius (*De Iust. et Iur.* lib. 4. cap. 3. n. 59.) utique gravis culpa hos actus damnat in *personis omnino solutis*; sed (ibid. n. 58.) oppositum de sponsis sic tradiderat: *Sponsis de futuro conceditur ea voluptas, quae praecise ex osculo et contactu manus vel faciei percipitur, ita ut nec venialiter quidem in ea peccent.*

2^o Idem dicit de Perez, qui dum (*De Matrim.* disp. 8. sect. 6. n. 7.) de gravi damnat *delectationem libidinosam quae est quaedam copulae inchoatio, delectationem tamen ex osculis perceptam* (ib. n. 4.) sponsis ceu licitam concedit. En verba Perez (l. c.) *Dico primo, certum esse apud omnes Doctores, oscula praedicta, amplexus et tactus non impudicos licite fieri inter sponso de futuro, quando fiunt in signum benevolentiae secundum consuetudinem patriae, ad conciliandum et fovendum mutuum amorem in ordine ad matrimonium contrahendum... Unde colligo cum praedictis DD., delectationem ex ipsis sequentem esse licitam et honestam.* Imo (ibid. n. 5.) addit: *Adde, praedicta oscula, complexus, et tactus esse etiam licita ob finem praedictum, etiamsi adsit periculum pollutionis, modo non adsit periculum consensu in delectationem sensualem ac veneream.*

3^o Bonacina autem (*De Matr.* q. 4. punct. 9. n. 6.), et Mazzotta (Tr. VII, disp. II. q. 2. cap. 2. q. 1.) utramque sen-

tentiam dicunt *probabilem*: esto, quod Bonacina dixerit oppositam probabiliorem; illud enim sufficit ad dictamen de actus licitate. Quod vero oppositam dicat *probabiliorem*, id non sufficit ad iniiciendam fidelibus conscientiam gravis peccati. Haec ex communibus principiis a S. Alphonso probatis et inculcatis. — En autem verba Mazzottae (l. c.): *Respondeo cum Perez, et aliis, tunc licere, quando fiunt in signum benevolentiae secundum consuetudinem patriae, ad conciliandum et fovendum mutuum amorem in ordine ad matrimonium contrahendum; quia sic non solum non apparet turpitudine, verum etiam adest finis honestus. Quod verum est, inquit Perez, etiamsi in casu praeter intentionem sequatur commotio spirituum, aut etiam pollutio, modo non adsit periculum consensu in illam. At si fiunt ob delectationem carnalem... quae sonat delectationem veneream... longe probabilius contradicunt, etc.*

4^o Suarez (*De Pecc.* disp. 5. sect. 7. n. 12.) nihil prorsus habet, quod ad rem faciat. — Quoad Henriquez vero, hic mere dicit (lib. 11. c. 19. n. 4.), quod *honesti amplexus et oscula ad benevolentiam concedebantur a viris doctis; sed permitti non deberent, cum iam sponsalia per copulam affectu maritali non transeant in matrimonium.* Quaero: cur non dicit *debent*, sed *deberent*? Ratio redditur ibi in nota sic: *inest enim periculum copulae, dum absque arbitris se impudice tangunt.* Ergo mere id dicit ad praecavenda pericula; quod consonum est illi paragrapho, ubi agit de matris officio in filiarum custodia. Quos vero allegat in Nota, Caiet., Navarr., Angel., et Silvester, notum est, haec benevolentiae signa sponsis non interdicere: quamquam Silvester (*V. Matrim.* 5. §. 8.) duplex osculorum

tiis; censentur enim eiusdem naturae, ac actus consummatus, in quem natura sua tendunt. Hinc in confessione explicandum est, an habiti sint

distinguit genus: alterum, quod *irreprehensibiliter fieret solum cum uxoribus et sponsis de praesenti*, et quod sufficeret, *ut sponsalia transirent in matrimonium*; alterum, quod *solent etiam sponsis de futuro exhiberi in aliquibus locis* etc.

5° Rebellus (*De oblig. Iust. part. 2. lib. 3. q. XIX. sect. 2.*), et Gaspar Hurtado (*De Matr. disp. 10. diffie. 10. n. 48.*) disserunt alter quidem de *delectatione libidinosa*, seu de osculis, *per quae inchoatur voluptas venerea*; alter vero de *tactibus libidinis*, et delectatione inde percepta; quae itidem non sunt ad rem. Sane S. Alphonsus auctores *secundae* sententiae allegat ceu contradicentes auctoribus *primae*. Atqui nemo e quinque, quos affert pro *prima* sententia, loquitur de delectatione *venerea*; ergo *abs re* contra istos allegantur Rebellus et Hurtadus, qui mere veneream impugnant...

6° Croix (lib. 6. p. 3. n. 151.) communi sententiae mere opponit falsas allegationes Lessii, Suaresii, Henriquez et Hurtadi, quibus addit Comitulum; sed et hunc perperam, quia Paulus Comitulus, ut vir ingenii anomali, et zeli ad strictiora propensi, tamen a communi sententia in hac re non recessit, ut patet ex hisce (*Resp. mor. lib. 4. q. 20. n. 4.*): *Quapropter puellae et virgines, quae aut ex osculis et amplexibus castorum iuvenum quos amant, voluptatem capiunt honestam, sive cum eos tactus cogitant, sive etiam corpore eos admittunt; aut non peccant, aut leviter peccant, ut inquit Sylvester V. Delectatio n. 7. Non mortifere peccare affirmat Rosella V. Cogitatio morosa n. 4. Secus dicendum si animo obscenam aut corpore turpem voluptatem haurirent.* Ratio autem a Croix (lib. 3. p. 1. n. 894.) adducta, nempe quod delectationem istam sensibilem, praesertim si quaeratur,

posset subsequi venerea: et si forte venerea accedat, periculum adesse potest in eam consentiendi, haec (inquam) ratio nimis probat, nec Logica consentit, ut ex casu particulari probabili argumentum sumatur ad grave peccatum pro quibuslibet casibus asserendum.

7° Denique Viva (*De Matr. q. 1. art. 7. n. 6.*) licet pugnare videatur contra Sanchezii communem sententiam, tamen ambigue loquitur de *delectatione* modo *sensibili* modo *carnali*; remque magis implicat, dum hoc loco dicit, se *communio-*riorem doctrinam contra Sanchezium sequi, dum alibi (*In Prop. 40^a damn. ab Alex. VII. n. 23.*) Sanchezii sententiam tribuit *plurimis*: Sane cuiusmodi est delectatio, quam Viva reprobatur? Nam si est mere *sensitiva* seu *sensibilis*, qualem asserit Sanchez (lib. 9. disp. 46. n. 49.), eam vocans *delectationem sensitivam, quae ex osculis oritur*, quomodo subdit, eam *communius* peccati mortalis damnari? Quomodo obiicit illis auctoribus *Rebellum* et *Hurtadum*, qui pugnant solum, ut vidimus, contra veneream? Imo quomodo cum his opponit et Perez, qui, ut supra vidimus, sensibilem hanc delectationem ut licitam admittit? Si vero Viva vult pugnare contra *veneream*, quomodo hanc opinionem tribuit quindecim illis Scriptoribus cum Diana, qui eos sequitur? Quomodo ipsam *plurimis* illis attribuit, quorum causam (*In Prop. 40^a Alex. VII. n. 23.*) communem cum Sanchez facit? Quaero: estne hic modus aptissimus clare distincte et cohaerenter quaestiones pertractandi?

Ex allegatis igitur supererunt Mendo, Concina, et Roncaglia, quorum postremus (*Tract. XII, cap. 1. q. 6.*) dicit, *mirari se, quod quidam oscula admittant ut licita inter sponso, et nunquam se satis percepisse, quomodo dici possit,*

cum eodem vel diverso sexu, cum persona coniugata, etc. — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 417. — Lessius, etc.

sponsalia tribuere sponsis ius ad mutua oscula. Ad quae alii illud forte reponerent, rationem, quae Roncagliae oculis non affulsit, affulsisse tamen communiter aliorum, quos innuimus, Doctorum intellectui; neque enim alia tam communis sententiae causa sufficiens assignari potest nisi ratio quaeppiam satis spectabilis, quae diversissima ingenia in unam sententiam compellat. Quod idem ad *Mendo* repopendum est, qui (*Statera Opin. Diss. V. q. 12. n. 118.*) *tot* (ut ait) *atque adeo gravium* Auctorum doctrinam veritus est sequi, quod eiusdem fundamentum non pervideret.

Auctoritate vero Concinae quem S. Alphonsus *rigidissimum* vocat, postulari nequit ut commoveamur. Quod vero attinet ad Roncaglia, advertendum in primis est, quaestionem ab eo restringi non solum ad *oscula pressa et aliquo tempore protracta*, sed insuper ad *facta ob captandam sensibilem delectationem*. Porro Logica non permittit, ut exinde concludatur de omnibus osculis, et posthabita S. Alphonsi distinctione inter agentem *propter delectationem*, et agentem *cum delectatione*.

Argumentum autem iam inde a *Rebello* productum, et dein a caeteris etiam prorsus abs re repetitum, nimirum quod sponsalia non dent ius in corpus alterius, additis deinde ad rem illustrandam exemplis tum ementis vineam, qui nondum *ius in re* habeat, et viri destinati ad iudicis officium, quod tamen nondum acceperit, hoc, inquam, argumentum nihil est, nisi putum sophisma. Et sane num ius in corpus alterius tribuimus, cum dicimus amicitiam ius tribuere amplexandi aut osculandi amicum, aut idem ius inesse parentibus erga filios etc.? Significatur videlicet, eam esse conditionem amici ad amicum, parentum ad filios etc., atque etiam sponso-

rum, ut istiusmodi affectus et benevolentiae ostensiones damnari non possint ceu statui eorum incongruae. Quippe cum amor iste legitimus sit, atque honestus adeo, ut S. Thomas (Vid. sup. Not. ad q. 7. n. 32.) ceu *actum virtutis ac vitae aeternae meritum* habeat quod *mulier decenter se ornet ut placeat viro, quem accipere debet*, honestum itidem est eiusmodi signis istum amorem fovere.

Sed nec omittendum hic aliud sophisma, a quo non satis quidam in hac quaestione tractanda cavent. Ita nimirum delectationem mere *sensibilem*, quae v. gr. ex tactu panni serici hauritur, distinguunt a venerea, ut si quidem delectatio ex amplexu percepto non sit illa mere sensibilis iam habenda sit ut venerea graviter damna-bilis, perinde scilicet ac si de animalibus brutis ageretur. Atqui in homine rationali non negligendum est aliud elementum, unde delectatio est, quae neque ad mere sensibilem illam revocari possit neque iterum ceu venerea sit damnanda. Et re quidem vera num aliquid cum tactu floris commune habet delectatio quam mater experitur in amplexu filii e bello reversi? quae quidem ita in eiusmodi haeret amplexu, ut centies filium osculetur, nec diu sinat a suis ulnis illum avelli? Ergone, si non sensibilis, ista erit delectatio venerea? Sua nimirum atque indolis omnino diversae voluptas ac delectatio inest, quando ardens cordis affectus per eiusmodi signa seu ostensiones semet effundit, inque iisdem satisfacere sibi ac veluti quiescere videtur. Quoties autem hic affectus legitimus sit et honestus, in sese effundendo autem limites honestatis ac decentiae servet, quid est, in quo damnetur, aut quorsum huc arces-situr theoria illa de delectatione mere sensibili, ac propria contactus panni serici? Exinde vero intelligitur, cur Auctores